

minum infortunij, & postmodum uadit ad aliud infortunium, uix eo anno natus euadet.

Saturnus in anni reuolutione in octaua diurnus, genitorem atq; natum mortuorum causa efficit anxium.

## IX.



Nonā domus, significat longa itinera, religionem, somnia &c. Considera igitur cuspides nonæ, ac dominos earū, in duabus figuris. Item gradum diuisionis nonæ radicis, & diuisorem eius in duabus figuris. Quibus comisce significationes domini anni &c. ut supra.

## Aphorismi.

SOL in nona, significat honorata itinera, uel ad Regem iter, sic etiam Iuppiter, uel Caput in nona.

Pars fortunæ in nona, significat in itineribus lucrum.

Dominus uel Rex anni in nona, significat iter.

Luna radicis in nona reuolutionis, itinera significat.

Dominus ascendentis reuolutionis in quarta domo, significat quòde anno non faciet iter, de quo uide eius statum in figura, & secundum eius fortitudinem uel debilitatem profer iudicium.

Iupiter dominus anni à Sole combustus significat damnum in lege nati, euenient ei res turpes & male, idem dic de cæteris planetis secundum eorum naturam, ut Mercurius impediet eum in computo & numeris, in scripturis & consilijs.

Dominus nonæ in duodecima paruā utilitatē portendit in longis itineribus.

Planeta peregrinus in ascendente radicis, si fuerit in tertia uel nona reuolutionis, peregrinabitur natus eo anno secundum naturam domus in qua fuerit,

## X.



Decima domus significat dominia, magistratus &c. Pro illis aspice cuspides decimæ domus, & dominos earum in ambobus temporibus. Item gradum diuisionis decimæ domus radicis, & eius diuisorem in utraq; figura, illis commisce reliqua, ut supra diximus,

## Aphorismi.

COMETAM in medio cœli tam radicis quàm reuolutionis, si Sol uel Mars aspexit, eo anno natus ad dominium, aut ad magnam dignitatem perueniet.

Luna infortunata in reuolutione, significat mali, & nato animi, & corporis ægritudinem, si nocturna sit reuolutio, & Saturnus Lunam aspexerit.

Luna coniuncta Soli in reuolutione, natus propriæ dignitatis ornamenta perdit.

Quando ascendens reuolutionis peruenerit ad signum decimæ radicis, natus eo anno magisterium renouabit suum.

Mercurius in reuolutione, in loco in quo fuerit Iupiter in radice, significat dignitatem, & honorem quem ab alio se maiore habebit.

Luna applicans domino ascendentis amico aspectu, adducit significatum domini.